

SALISBURGENSIS DIOECESIS.


FRANCISCUS IRENICVS, ex quinque Episcopatibus Bauariæ, hunc primum vocat; eiusque Urbem Cathedralem, (quam Æneas Syluius Metropolitanam vocat,) cuius hic picturam addidimus, his verbis describit Munsterus: Germanos IULIUS CÆSAR aggressurus, in faucibus montium Arcem munitissimam extrui curauit, vt milites ad eam refugium, & satellites ex ea iuuamen haberent. Et inde castrum Iuuaiense, Germanicè, *Helfenberg* , appellatum est. Fluius quoque cui adiacet, Iuuaius dictus, Arci nomen dedisse à quibusdam putatur, à quo & Ciuitas inde condita Iuuauia dicta est. Habet hæc Vrbs paludes, planiciem, colles, & montes. Paludes præbent pascua; montes aucupia, & venationes nonnullas. Cùm autem hæc Ciuitas olim florisset, temporibus Attilæ Regis Hunorum, sustinuit incursiones, vastationes, & incendia. Postea circa Annum salutis. D. XX. cum Diuus Rupertus ex Regia stirpe Francorum ortus, VVormatiensem rexisset Episcopatum, & post obitum Regis Childeberti à sede Wormatiensi pulsus esset, Thedo Dux Baioariorum Ratisponæ eum cum gaudio suscepit, baptisatusque est ab eo vnà cum Proceribus & populo. Et circumiens Rupertus Episcopus per Noricum vsque Pannoniam, prædicansque CHRISTVM, plurimos ad fidem eius conuertit. Veniens autem ad Iuuaium fluuium, vbi olim Iuuauia Ciuitas fuerat, sed tunc collapsa, virgultis operta, & desolata; contemplansque locum Cathedrali sedi idoneum, proprietate eius à Duce obtenta, extirpatis arboribus & vepribus, repertisque ædificiis, Basilicam in honorem D. Petri construxit. Quin & Cœnobium Ordinis S. Benedicti, cum munificentia Ducis instituit, rexitque Ecclesiam Episcopalem Ann. 44. &c. ceteros eius Episcopos & Archiepiscopos enumerans.

Vide etiam Auentinum, qui putat hanc Urbem,
Ptolemæo, Pœdicum esse.

Oui patrie adfert ingenio sus
Illustre nomen, Laudibus excolens
Dignus favore est, primoque
Quem sequens veneretur etas
Cum Marcus ergo fecerit hoc opus
Grato tuum, te quosq, foue sum
Salzburga ciuem, gestiensque
Posteritatis honore cinge.

Cum privilegio.

SALISBURGENSIS IURISDICTIONIS, VICINORUMQUE VICINORUM VERA DESCRIPTIO Auctore Marco Secznagel Salzburgense: D.



VRBIS SALISBURGENSIS GENVINA DESCRIPTIO

